Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn334845335/1
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

R. XXII. 8. no 209.

6233

M 5 mm. 11

THESAURUS Locorum SANCTÆ THEOLOGIÆ communium, in sacro utriusq; Testamenti Codice fundatorum,

Methodicè, breviter & perspicuè dispositus.

Liber primus continens S. Theologię partem primam quæ est de DEO TESTATORE:

In illustri Schola Nassovica-Herbornensi publicæ censuræ propositus,

Præside

Reverendo & clarissimo viro, Dn. Hermanno Ravenspergero, S. Theologiæ Doctore & Professore;

à

M. VVernero Teschenmacher ex montanis Elverfeldense.

Hernborn. Nassoviorum, 1611.

STRENUO ET NOBI-
LISSIMO VIRO,

D. EBERHARDO à Bodtlenbergh/dicto Kesselin Hachüsen/territorii Elverfeldensis Satrapæ dignissimo:

ET AMPLISSIMO CONSULTISSIMOQUE VIRO,

D. GUILHELMO à PYLSUM, territorii Barmensis judici prudentissimo:

Mœcenatibus jugiter suspiciendis.

UT ET

REVERENDIS ET DOCTISSIMIS VIRIS,

D. JOHANNI CALMANNO
D. PETRO CURTENIO
D. FRIDERICO KEPPELIO
} Elverfeldensis
D. PHILIPPO PÔPPINCKHUSIO
Düsseldorpensis
D. SIMEONI BUDDÆO Grefradensis

Ecclesiarum ministris vigilantissimis, fautoribus & amicis summopere colendis

Hanc Thesauri Theologiæ partem primam in subjectionis, gratitudinis & amicitiæ debitæ σφραγίδα inscribit

M. Wernerus Teschenmacher
author & respondens.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn334845335/4
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

THESAURI LOCORUM S. THEOLOGIÆ COMMUNIUM ETC.

Liber primus.

LOCUS I.

De verbo Dei, sacrâ scripturâ contento.

1 THeologia est sermo de Deo, rebusque divinis. Aphorismus.

2 Distinguitur ὁμωνύμως in veram & falsam. Franciscus Junius de Theolog. cap. 1. & deinceps.

3 Falsa Theologia nihil est aliud, quàm opinio, aliud quidvis pro rebus divinis prehendens.

4 Estque vel veterum Ethnicorum, vel modernorum pseudochristianorum, vel ipsorum etiam subinde Christianorum.

5 Ethnicorum Theologia vel de diis agit, quę & tripartita est; fabularis, quam profana poëtarum voluptas; naturalis, quam vagum Philosophorum studium; civilis

quam publica in ſocietate hominum utilitas peperit: vel de dæmonibus, tam malis averruncandis, quàm bonis alliciendis.

6 Pſeudochriſtianorum varia eſt, prout ſcilic. variæ & multiplices ſunt hominum hæreticæ & in fundamento aberrantes aſſertiones.

7 Chriſtianorum ſunt particulares horum vel illorum errores, aliquando graviores, aliquando etiam leviores.

8 Vera Theologia eſt rerum divinarum ſapientia.

9 Eſtque vel archetypa, nimirum infinita, eſſentialis & omnimodò divina ſapientia, quam Deus habet de ſe ipſo, rebusque omnibus, ut ſunt ad ipſum neceſſariò, propriè & per ſe relatione perpetuâ ordinatæ, ſecundùm rationem infinitam ipſius: hanc nos adoramus, non inveſtigamus: vel ectypa, per gratioſam communicationem ad exemplar illius expreſſa.

10 Ectypa hæc pro diverſitate ſubjectorum & modorum quibus communicatur à Deo, triplex eſt: *unionis*, communicata cum Chriſto θεανθρώπῳ ſecundùm humanitatem ejus [a]: *viſionis*, communicata cum angelis ſecundùm beatam viſionem eorum, quâ perfruuntur in cœlis [b]. *Revelationis*

[a] *Col. 2. v. 3.*

[b] *Matth. 18. v. 10.*

lationis, communicata cum hominibus, juxta quam res divinas contemplantur, donec visionis illam post hanc vitam consequantur *c*.

c *1. Cor. 13. v. 9. & 13. Ephes. 4. v. 14. 1. Pet. 1. v. 8.*

11 Revelatio autem hæc contingit vel secundùm naturam vel secundùm gratiam: unde Theologia per revelationem communicata, vel *naturalis*, vel *supernaturalis*, seu *gratiosa* dicitur: illa ex principiis per se notis lumine naturæ; hæc ex principiis per se notis, lumine gratiæ supra humanæ rationis modum, procedit *a*.

a *Galat. 1. v. 12.*

12 Supernaturalis Theologia, quæ & nostra dicitur, & de qua nobis sermo erit, in hunc modum definiri potest, quòd sit *eloquiorum divinorum sapientia* a, *ad obtinendum bonam sine offensa conscientiam sufficiens* b.

a *1. Cor. 2. v. 7.* b *Actor. 24. v. 16. 1. Tim. 1. v. 19.*

13 Ejus considerandum venit tum principium, tum partes.

14 Principium seu fundamentum est verbum Dei, sacrâ scripturâ contentum.

15 Doctrina de sacra scriptura est, vel de ejus essentia, vel circumstantia.

16 Essentia S. Scripturæ est ejus valor & vigor sive authoritas, quâ partim canonica, partim perfecta est.

17 Canonica scripturæ authoritas dicitur respectu vel ipsiusmet scripturæ in & per se, vel nostrûm.

18 Prior respectus duo definit, tum qui libri, tum in qua lingua sint authentici.

19 Libri à Deo inspirati, *a* à prophetis & Apostolis conscripti, *b* & ecclesiæ hoc fine, ut sint & credendorum & faciendorum canon *c* præscripti, omnes & soli sunt authentici, reliqui omnes apocryphi.

a *Es. 52. v. 6. & 7. 2. Timoth. 3. v. 16. 1. Pet. 1. v. 21.* b *2. Pet. 3. v. 2.* c *Act. 24. v. 14.*

20 Et quidem non in quibusvis linguis, sed iis tantùm, in quibus per prophetas & Apostolos, ut notarios & legatos Dei, sunt proditi: unde sequitur, non posse alium textum quàm Hebræum in veteri & Græcum in N. T. authenticum haberi. Sub Hebræo a. textu comprehenditur etiam Chaldaicus in Esdra & Daniele.

21 Alter respectus determinat, quo pacto scriptura quæ in se certa & authentica est, nobis certa & authentica esse possit: Quod fit partim *argumentis*, scripturæ vel *adhærentibus*, ut *antiquitate*, *invicto veritatis robore*, *piorum alioqui etiam dissidentium*

tium consensu &c: vel *inhærentibus*, ut *doctrinæ majestate & sanctitate, pulchrâ & admirabili omnium inter se partium harmoniâ, certissimo prophetiarum complemento, &c:* partim *testimoniis*, iisque vel *externis*, cujusmodi sunt *Ecclesiæ & ipsius scripturæ a*, seu potiùs Dei nobis in scriptura loquentis; vel *internis*, cujusmodi unicũ est *interna S. sancti persuasio b.* Hoc S. sancti testimonium est *constitutivum*, scripturis authoritatem indens, & nobis eandem intus efficaciter persuadens: Ecclesiæ V. testimónium tantùm *ministeriale* est, inditam agnoscens, agnitam promulgans, & promulgatam propugnans.

a *Es. 55. v. 11. Ezech. 12. v. 25. & 28. 2. Pet. 1. v. 21. Nehem. 8. v. 2. & 3.* b *1. Corinth. 2. v. 12. 1. Johan. 5. v. 6. Roman. 8. v. 16.*

22 Hæc de scripturæ canonica authoritate: perfectio ejus in eo consistit, quòd omne Dei verbum nobis ad salutem necessarium continet *a*, & nullo additamento verbi non scripti indiget *b.*

a *Psal. 19. v. 8. Deut. 4. v. 2.*
b *Joh. 20. v. ult.*

23 Sic fuit de essentia S. scripturæ: circumstantiæ ejus sunt tres. 1. Perspicuitas, qua sacra dogmata ad salutem necessaria apertè satis in ea traduntur *a*, tametsi à nobis difficulter intelliguntur *b.* 2. Legendi & meditandi libertas, quæ non modò cle-

a *Psal. 19. v. 8. & 9. & 119. & 105. 2. Pet. 1. v. 19.*
b *1. Cor. 13. v. 9. & 12.*

ricis sed laicis etiam concedenda est *c*. 3. Interpretatio, quæ in Ecclesia non modò valde utilis, sed etiam maximè necessaria *d*, sive ea sit metaphrastica sive paraphrastica.

c *Neh.8. v.2. 3.4.6.7. & 10 Joh.5. v.39. Act.17.v.11.*

d *1.Cor.12.v.7. & seqq. & cap.14.v.6.19. & 28.*

24 Utraque interpretatio quo canoni propior, eo susceptu dignior *a*: Et quemadmodum donum scripturas interpretandi non est Pontifici & conciliis peculiare *b*, sic nec jus de scripturarum interpretatione, vero sensu & controversiis fidei judicandi, est Pontifici & pontificiis conciliis singulare *c*. Dextra siquidem interpretatio à quibuslibet fidelibus legitimè recipitur, & quorumlibet à S. sancto illuminatorum judicio modestè subjicitur.

a *1. Thes.5. v.21.*

b *1.Cor.12. v.7. & 11. Num.11. v. 16. & 17. Jud.4. v.4. Amos 7.v. 14. & 15.*

c *1. Johan.4. v.1.*

Dictum est de Theologiæ principio, sacra videlicet scriptura: sequitur de ejusdem partibus.

LOCUS II.

De utroq; verbi Dei Testamento.

Aphorismus.

PArtium Theologiæ indicabitur constituendarum occasio, & constitutarum numerus.

2 Occasionem præbet sacrorum Biblio-
orum inscriptio, quâ tota scriptura ad te-
stamentum aliquod refertur, & juxta du-
plex Testamentum in veterem & novam
distinguitur: quia extra testamentum Deus
homini nihil loquitur.

3 Testamentum in scriptura propriè
significat fœdus sive pactum à Deo cum
hominibus initum.

4 Estque duplex: Legale & Evangeli-
cum.

5 Legale rursum aliud ante lapsum fuit
cum protoplastis in paradiso erectum *a*:
aliud post lapsum cum Israëlitis in monte
Sinai factum *b*, quorum convenientia ma-
gna, differentia exigua fuit.

a *Genes. 2. v. 16. & 17.*

b *Exod. 19. & 24. totis capp.*

6 Utriusque perpendi debet 1. Solen-
nitas. 2. Bonum promissum. 3. Fundamen-
tum. 4. Conditio. 5. Finis.

7 Solennitas fuit, quòd Deus fedus hoc,
primùm cum protoplastis in paradiso im-
mediatè erexit, & postea in monte Sinai,
cum clangore buccinæ, tonitru & fulgure,
vehementique strepitu in densissima nube
Israëlitis per ministerium Mosis repetiit.

8 Bonum promissum non fuit solùm
terrena felicitas, sed vitæ æternæ beatitu-
do, & gloriæ cœlestis possessio.

9 Fundamentum fuit natura hominis

integrè à Deo condita, & verâ legis notitiâ informata.

10 Conditio fuerunt opera ex naturæ viribus præstanda & divinæ legi exquisitè conformia.

11 Finis fœderis legalis potissimùm fuit triplex: 1. ut homines in obedientia reservarentur, vel ad eam excitarentur, & qui ratione revocari non poterant, pœnarum minis atque terroribus coërcerentur *a*. 2. ut infirmitas & malitia hominum manifestaretur *b*, omne os obturaretur, & totus mundus condemnationi obnoxius redderetur. 3. ut ad restaurationem in fœdere Evangelico quærendam omnes impellerentur *c*.

a *Exod.20. v.18.19.& 20*

b *Rom.7.v. 7. & seqq.*

c *Rom.3. v. 19.*

12 Hactenus de Testamento seu fœdere legali, quod aliâs à fundamento naturale, à conditione operum, & respectu abrogationis prius & vetus *a* nuncupatur: Sequitur de Evangelico, quod etiam fœdus gratiæ, & respectu legalis (quod hujus adventu est abrogatum) novum *b* vocatur.

a *Heb.8. v.13*

b *Ibid.*

13 Fœdus gratuitum statim post violationem veteris, sive legalis cum primis parentibus percussum, & Abrahamo ejusque posteris omnibus, adeoque & nobis iteratum, substantia unum idemque rectissimè creditur, tametsi ob diversam diversis temporibus, ante scil. & post Christi in carnem adven-

adventum administrationem, commodè in vetus & novum distinguitur.

14 Horum convenientiam & differentiam facilè intelligemus, si utriusque 1. solennitatem, 2. bonum promissum, 3. fundamentum, 4. conditionem, 5. finem perpendemus. Primo enim membro potissimum differunt, reliquis quatuor maximè conveniunt.

15 Solennitas veteris fœderis alia adhibita fuit in initiatione, cujus sacramentum erat circumcisio; alia in continuatione hujus fœderis, cujus sacramenta erant, esus agni paschalis, & victimarum quarundam mactatio.

16 Similiter solennitas novi fœderis alia adhibetur in initiatione, alia in continuatione hujus fœderis.

17 Initiationis sacramentum est baptismus, quando homo aquâ tinctus, nomen suum publicè dat Christo, ut habeatur pro uno ex confœderatis hujus fœderis. Junius in thes. disput. 26. de vet. & novo Dei fœdere.

18 Continuationis sacramentum est Cœna Domini, quando confœderati pane & vino consecratis, fruuntur in gratam & sanctam memoriam mortis Christi fœdus hoc stabilientis.

19 Bonum promissum utriusque tum veteris tum novi Testamenti, est gratuita

perfectæ justitiæ morte Christi partæ imputatio *a*, & glorioſa coronæ juſtitiæ impoſitio *b*.

20 Fundamentum eſt ſanguis *a* Jeſu Chriſti, agni illius immaculati, *b* olim quidem per ſacrificia præfigurati, conſtituto verò tempore in hoſtiam in crucis ara oblati.

21 Conditio eſt vera fides ſatisfactionem & meritum paſſionis mortisque Chriſti in Evangelio prædicatum & promiſſum apprehendens.

22 Finis eſt triplex; 1. ut fideles remiſſionem peccatorum & ſalutem, quam in fœdere legali nec ſperare nec obtinere ullus homo poterat, in Evangelico haberent. 2. ut omnes ſalutem non propriis operibus, ſed ſoli divinæ gratiæ atque miſericordiæ in Chriſto, olim per ceremonias præfiguratо, & adhuc crucifigendo, nunc autem crucifixo, oſtenſæ adſcriberent. 3. ut conſtituti heredes gratitudinem tum erga Deum teſtatorem, tum erga Chriſtum mediatorem, juxta præſcriptum legum divinarum legitimè vivendo oſtenderent.

23 Neq; enim exiſtimandũ eſt, quia fœdus legale per gratuitum eſt abrogatum, & gratuitũ vetus per gratuitum novum quoad circumſtantias, puta *amplitudinem tum*

vo-

a *Rom. 4. v. 6. & 5. v. 9.*
b *2. Tim. 4. v. 8.*
a *Heb. 9. v. 15. 16. & 17.*
1. Joh. 1. v. 7.
b *1. Pet. 2. v. 19.*

vocationis, quia Christus in veteri Testamẽto tantùm Judęis annuntiatur, in novo verò etiam gentibus prædicatur; *tum perſpicuitatis*, quia quæ obſcuriùs in veteri adumbrantur, clariùs & abundantiùs in novo illuſtrantur, nonnihil correctum eſt, ideo & leges divinas eſſe in univerſum abolitas. Proinde quid de valore & vigore itemque abolitione legum divinarum ſtatuendum ſit, hîc paucis interſeremus.

24 Lex eſt triplex: alia *moralis* de moribus, cùm erga Deum, tum erga proximum piè informandis: alia *judicialis* de judiciis rectè exercendis: alia *ceremonialis* de ceremoniis ritè peragendis.

25 Moralis lex, quatenus lex omnino non eſt abrogata: uſus tamen obtinuit, ut eam abrogatam fidelibus, quoad maledictionem *a*, non autem quoad obedientiam *b* dicamus.

26 Leges judiciales ſalvâ & incolumi rectitudine ſunt abrogatæ quoad circumſtantias & conſtitutionem externam; at non quoad æquitatem, cujus ratione conſtitutio fundata eſt, & cui etiam innititur.

27 Lex ceremonialis, quia non eſt de lege naturæ (quæ ſola eſt immutabilis) abolita eſt uſu ſive quoad obſervationem, non effectu ſive quoad ſignificationem.

a *Gal.3. v.13. Rom.6. v.14.*

b *Deut.32. v.46.*

Hæc de Testamento, quod S. Bibliorum est inscriptio, & partium Theologiæ constituendarum occasio: Sequitur ut agamus de partium Theologiæ numero, qui à natura Testamenti, ejusq; requisitis essentialibus dependet.

Ut enim in Testamento humano commodè attenduntur, Testator, Testes & Hæredes: Sic in Testamento sacro, quod Deus creator iniit cum sua creatura, tria commodè considerantur, Testator, qui Deus; Testis seu potius Mediator, qui Christus; Hæres, qui Ecclesia. Atq; hactenus Testamentum divinum ac humanum conveniunt, etsi in utroq; plurima occurrunt, in quibus maximè differunt. Cæterùm juxta has Testamenti sacri partes, nunc etiam S. Theologiæ in sacro utriusq; Testamenti Codice fundatæ, tres partes constituimus, quarum prima est DE DEO TESTATORE. 2. DE CHRISTO MEDIATORE. 3. DE ECCLESIA HÆREDE.

LOCUS III.

DE DEI TESTATORIS *seu essentiæ divinæ unitate.*

DE Deo Testatore quatuor consideranda veniunt. 1. Essentiæ unitas. 2. Personа-

sonarum Trinitas. 3. Natura. 4. Opera.

1 Essentiâ Deus Testator unus est *a*, sive una tantùm & individua ejus essentia. Aphorismus.

a *Deut.6. v.4. Deut.32. v 39. Es.44. v.6. item 1.Cor.8. v.4. Ephes.4. v.5.6. Galat.3. v.20.*

2 Et quidem non aggregatione, non genere, non specie, non denique consensu, sed NUMERO, non Arithmetico, sed transcendentali, sic ut essentia nunquam dicatur de Deo in plurali numero, atque ita in Deo non sint plures essentiæ & dii, sed unus tantùm Deus, JEHOVA, Zebaoth. H. Zanchius lib.1. de tribus Elohim cap.3. &c.

LOCUS IIII.

DE TRINITATE.

PErsonarum trinitas est, qua etsi Deus Testator quoad essentiam unus est, tamen in unica ejus essentia tres sunt personæ *a*, certis modis subsistendi inter se distinctæ. Aphorismus.

a *1. Johan.5. v.7. Matth.3. v.16. & 28. v.19. 2. Cor.13. v.ultimo.*

2 Alius namque Deus pater, alius Deus filius, alius Deus S. Sanctus est, quibus essentia communis est, ita ut tota singulis illis personis insit.

3 Pater est prima persona Deitatis, qui ipse ingenitus divino & nobis ineffabili

a *Joh.3.v.16.* modo, filium ab ęterno gignit *a*, & Spiritum S. unà cum filio (id est, & ipse & filius) spirat.

4 Filius est secunda persona, quæ à patre divino & nobis ineffabili modo gignitur *a*, & unà cum illo Spiritum S. spirat.

a *Joh.1. v.18.*

5 Spiritus S. denique est tertia persona Deitatis, quæ à patre & filio divino & nobis ineffabili modo procedit *a*.

a *Johan.14.v.16. & 26. & cap.18.v.26.*

6 Hæ tres Deitatis personæ vera sunt ὑφισάμενα sive res verè subsistentes, & earum unaquæque est individuum per se vivens, intelligens & subsistens, non sustentatum ab alio; neque enim personæ nudæ tantum sunt nomina, sive nudæ relationes ad creaturas, quippe quibus omnibus non modò patri, de quo nullum dubium, sed etiam filio *a* & Spiritui S. *b* tales actiones attribuuntur, quæ veris ὑφισαμένοις & suppositis tantùm attribui possunt & debent.

a *Joh.1. v.1. & 12. & c.3. v.13. & 6. v.33. & 62. & 16. v.28. & 17. v.5.* b *Matth.3. v.16. Luc.1.v.35. Actor.2.v.3. Rom.8.v.18. 1.Cor.2. v.10.*

7 Hæ tres personæ sunt verus & æternus Deus, inconfusè Trinus in unitate, indivisè Unus in Trinitate, id quod non tantùm aperta dicta, in quibus tum filius, tum S. Sanctus & Deus *a* & JEHOVA *b* nominatur,

a *Esa.9. v.6. 1.Cor.3.16.*
b *Esa.43. Act.1.16.*

natur, ſed etiam atttributa *c* Deo eſſentialia & opera tum creationis *d* tum redemptionis *e* ſoli Deo propria, denique cultus religioſus *f* ſoli Deo debitus ſatis ſuperque evincunt.

c *Apoc.1. v.17. & 2. v.23. Matth.18. v.20. Phil 3. v.21. Heb.9. v.14. Rom.8. v.9. Joh.14. v.26.* d *Joh.5. v.46. Job.26. v.15.* e *Epheſ.1. v.2. 1.Cor.2. v.10.* f *Phil.2. v.10. Matth 28. v.19.*

LOCUS V.

DE NATURA DEI.

SEquitur Dei Teſtatoris *natura*, ſecundùm quam quidem non exactè definiri, ſed utcunque ex ſuo Teſtamento deſcribi poteſt *a*.

a *Exod.34. v.6. & 7. 1.Timoth.1. v.17. & 6. v.16. & 17.*

2 Deus eſt JEHOVA ELOHIM, id eſt, una eſſentia trium perſonarum, vel eſt ſpiritus ſimpliciſſimus, immutabilis, æternus atque infinitus, ſummè potens & ſapiens, bonus, miſericors, juſtus & ſanctus, idemque liberrimus, omnium Dominus. C. Vorſtius in theſ. de Deo diſp. 3. & in notis ad eand.

3 In hac deſcriptione, tum nomina, tum attributa divina ordine ſunt attendenda.

4 Nominum divinorum 1. alia ſubjectum indicant, & quidem vel eſſentialiter

ut JEHOVA: vel personaliter, ut ELOHIM: alia de subjecto prædicantur, ut EL, SCHADDAI, creator, eisque æquipollentia reliqua, quæ vel de solo Deo dicuntur, vel de Deo & creaturis simul, modo tamen diverso; de illo modo excellentiæ, & independentiæ; de his modo dependentiæ, ut bonus, sapiens &c. 2. alia privativa sunt & negativa, quæ ostendunt, quid Deus non sit; alia affirmativa & positiva, quæ perfectionem in Deo notant, & ad ejus cognitionem viam muniunt: Eaque rursum Deo tribuuntur vel propriè, vel impropriè per ἀνθρωποπάθειαν, quę non affectum in Deo, sed effectum Dei in creaturis significant. 3. alia Deo ab æterno competunt, alia in tempore, quæ videl. relationem ad creaturas important, ut creator, redemptor.

5 Attributorum divinorum duo sunt præcipua genera; unum est ἀκοίνητον incommunicabile & absolutum, quod soli Deo ab æterno competit, cujus & vestigium in rebus creatis nullum apparet: alterum est quodammodo communicabile, & respectivum, quatenus scil. aliquid analogum rebus creatis inest, & respectum ad creaturas importat, quo Deus in tempore ad creaturas refertur.

6 Primi generis attributa sunt simplicitas,

citas,& quæ hinc dependet, tum immutabilitas,tum duplex infinitas.

7 Simplicitas Dei est,per quam intelligimus , Deum 1. expertem esse omnis compositionis,tum ejus quæ est ex partibus integrantibus, itemque essentialibus materiâ & formâ,tum ejus quæ est ex subjecto,& accidente,genere & differentia,esse & essentia,actu & potentia. 2. Expertem esse omnis divisionis & mutationis,ac proinde incorporeum , immaterialem, impartibilem , invisibilem & impassibilem, imò nihil esse in ipso non essentiale , eumque non posse non esse, cùm sit actus purissimus *a* ab omni concretione separatus.

a *Exod.3. v. 14. & 34. v.6.*

8 Immutabilitas quæ ex simplicitate fluit , est , quâ intelligimus , Deum nullis motus speciebus esse obnoxium,non posse nutriri , vel augeri , vel minui , vel alterari, denique non posse de loco in locum moveri *a*. Itaque negat de Deo omnem accessionem & detractionem , quippe qui essentiam suam habet à se ipso; sive qui est primum ens, à nullo dependens: si enim dependeret,mutaretur.

a *Psalm.102. v.27. & 28. Jacob.1.v. 17.*

9 Duplex Dei infinitas,est æternitas & immensitas:quarum illa respectu durationis,hæc respectu præsentiæ dicitur. Æternitas est interminabilis, tota simul & per-

fecta vitæ poſſeſſio, quâ Deus intelligitur carere non modò principio & fine, verùm etiam ſucceſſione & mutatione, ſic ut nec præterito nec futuro menſurari poſſit, ſed totus ſimul in continuitate quadam, nobis incomprehenſibili, poſitus ſit.

Pſalm. 139. v. 8. 9. 10.

10 Altera infinitas eſt immenſitas, quæ nihil aliud eſt, quàm illocalis divinæ eſſentiæ præſentia, per quam intelligitur ipſa tota, ſine ulla dimenſione, vel partium extenſione ab æterno ubique adeſſe; Ita tamen, ut pro multitudine locorum aut rerum creatarum, ipſe neque multiplicetur neque coarctetur, ſed (ut vulgo dici ſolet) repletivè ubique, incluſivè autem nuſquam ſit.

11 Hujus præſentiæ gradus quadruplex eſt. 1. Univerſalis, jam modò expoſitus. 2. Specialis, ſecundùm quem Deus dicitur eſſe in cælo; quia illic partim ſuam potentiam, ſapientiam & bonitatem excellentiori quodam modo præbet conſpiciendam & fruendam *a*, partim quia de cœlo ſua ſolet exercere judicia. 3. Specialior, ſecundùm quem Deus dicitur habitare in ſanctis *b*. 4. Specialiſſimus & planè ſingularis, ſecundùm quem tota Deitatis plenitudo in Chriſto habitat corporaliter *c*.

a *Pſal. 19. v. 1. Oſ. 2. v. 21.*
b *1. Cor. 3. v. 16. & 6. v. 19. & 2. Cor. 6. v. 16.*
c *Col. 2, v. 8.*

12 Attributa quæ relationem quandam

ad

ad creaturas important, iterum distingui possunt in duos ordines, ita ut primus continet ea attributa, quibus indicantur naturales agendi facultates, ut sunt omnipotentia, sapientia &c. alter verò complectatur ea quibus affectiones & qualitates quædam in Deo ejusque operibus residentes denotantur, ut bonitas, misericordia, justitia, &c.

13 Omnipotentia Dei est, quâ ille per essentiam suam, potentissimus est, hoc est, omnia potest absolutè possibilia, videlicet quæcunque non implicant rationem entis & non entis, quippe qui est actus purissimus & perfectissimus, proindeque maximè activus *a*.

a *Genes. 35. v. 11. Luc. 1. v. 32. Matth. 19. v. 26.*

14 Omnipotentia Dei vel absoluta est, secundùm quam Deus plura potest velle aut facere, quàm vult & facit *a*, vel actualis, quâ Deus quicquid vult reipsa facit *b*.

a *Matth. 3. v. 9. & 26. v. 53. Rom. 9. v. 18.*

b *Psal. 115. v. 3.*

15 Omniscientia seu infinita Dei sapientia est, quâ Deus simplicissimo & unico actu infallibiliter, non sentiendo, non componendo, non dividendo, non ratiocinando, se ipsum imprimis *a* deinde res

a *1. Cor. 2. v. 10.*

omnes, hoc est, universalia & singularia, præterita, præsentia & futura, necessaria & contingentia, liberosque animorum motus distinctè, perfectè atque intimè novit *b*.

b *Psal 94. v.9. & 139. v.1. & seqq. Job.12. v.13. Rom.11.v.33.*

16 Hæc etiam 1. vel absoluta est, quâ Deus simpliciter omnia novit ab æterno, vel specialis, quæ & scientia approbationis dicitur, quâ solos electos agnoscit pro suis *a* 2. vel visionis est, quæ pertinet ad res verè existentes, aut saltem verè futuras; vel simplicis intelligentiæ sive notitiæ, quæ extenditur etiam ad non entia & nunquam futura.

a 2. *Timoth.2. v.19. Matth. 7.v.23.*

17 Attributa, quæ tanquam qualitates quædam in Deo ejusque operibus elucent, sunt: 1. Bonitas Dei *a* quâ intelligitur ipse naturâ completus, totus, pulcher, maximè beneficus & humanus erga omnes creaturas *b*: quippe qui omnes boni species eminenter in se continet, & à quo omnes rerum perfectiones effluunt; undè etiam maximè appetibilis sive amabilis, aliarum etiam bonitatum causa efficiens, exemplaris & finalis *c*, nullius mali author, quatenus tale; etsi interim peccata hominum, bonitate divinâ ad suum proprium exitium per

a *Psalm.34. v.9. & 36. v. 6. & 118. v.1. Matth.19. v.17.*

b *Rom.2.v. 4.Tit.3.v.4. & 5.*

c *Jacob.1. v.17.*

per contemptum, diffidentiam &c. abutentium, permittit, & ad suam gloriam, tanquam ultimum & optimum finem dirigit.

18 2. Misericordia Dei, (quæ quasi prima bonitatis species) est liberalis & gratiosa illa clementia, quâ ipse per naturam pronus seu proclivis est ad juvandum seu benefaciendum.

19 Ea vel naturalis seu generalis est, quâ Deus non potest non uti erga omnes creaturas, licet inæqualiter; vel libera, quâ Deus utitur, quando, quomodo & erga quos vult *a*.

a *Exod. 33. v. 19. Rom. 9. v. 18.*

20 Hæc iterum duplex est, una alligata divinis promissionibus, quâ proinde Deus utitur erga omnes resipiscentes, quibus ipse peccata quidem clementer condonat, sed tamen simul ex ratione justitiæ, quatenus justum est servare sua promissa *a*: altera nullis promissionibus alligata, quâ proinde Deus liberrimè utitur, dum hominem partim adhuc peccatis immersum, gratiâ suâ prævenit, vel alioqui prolapsum in vitam revocat *b*.

a *Psalm. 103. v. 11. & 12. 1. Johan. 1. v. 8. & 9.*

b *Ephes. 2. v. 1. & 2. Psalm. 130. v. 3. 4. Tit. 3. v. 4. 5.*

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn334845335/25 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

21 3. Justitia Dei est, quâ Deus in omnibus suis operibus ita justus est, ut nulla creatura meritò possit conqueri sibi ullam à Deo injuriam fieri, factámve esse, sive justitiæ illius ratio manifesta sit, sive occulta.

22 4. Sanctitas est, quâ Deus intelligitur à profano usu separatus, adeoque totus in se sanctissimus, purissimus, & castissimus, quippe cujus majestas ab omnibus creaturarum sordibus & infirmitatibus longissimè est separata; quâ etiam omnis sanctimoniæ & castitatis in creaturis fons & author est. *Esa. 6. v. 3.*

23 5. Liberrima Dei potestas est, quâ solus Deus propriè & à se ipso est Dominus omnium, & propterea αὐτοκράτωρ, quia habet tum jus proprietatis in omnia, cùm omnia sint ab ipso, tum plenitudinem potestatis, adeò ut etiam invitis dominetur, quia illius dominium est plenissimum, adeò ut non teneatur cuìpiam reddere rationem, sed de suo agat quicquid vult, ac nemini nisi quatenus vult, obstrictus sit.

24 Hujus dominatus Dei in creaturas, duæ quasi partes sunt; una consistit in utendo jure suo, altera in remittendo seu non utendo; Remittit autem sive non utitur Deus jure suo partim quum peccata & delicta adversus majestatem divinam commissa

missa remittit, partim quum eas pœnas non infligit, quas justè infligere poterat.

25 6. Perfectio seu beatitudo Dei est, quâ intelligitur, cùm quod intra se habet, omnium bonorum sufficientiam, quia est ἀυτάρκης & παναρκὴς, qui nullius rei extra se indiget *a*: tum quòd ipse causa est omnium earum perfectionum, quæ in creaturis insunt *b*, & eas omnes in sese eminenter continet modo simplicissimo & perfectissimo *c*.

a *Act. 17. v. 25.* b *Jac. 1. v. 17. 1. Cor. 8. v. 6. & cap. 4. v. 7.* c *Psalm. 94. v. 9. Esa. 66. v. 9. Matth. 5 v. 48.*

Hucusque etiam de natura seu attributis Dei TESTATORIS: *sequuntur ejus opera, quæ vel interna sunt, vel æterna, vel externa & temporalia: quorum illa* aliis *immanentia, hæc transeuntia* dicuntur.

LOCUS VI.

De internis & æternis Dei operibus.

OPera Dei *interna & æterna* sunt, *consilium* seu *præparatio æterna: sicut ex-* Aphorismus.
terna seu *temporalia* sunt *executio seu factum ipsum in tempore*.

2 *Consilium* est, quo Deus omnia simul

& ſemel apud ſe liberrimè definivit, videl. res omnes earumque circumſtantias, media & fines *a*, quod Dei conſilium eſt primum principium ἐνεργητικὸν omnium rerum, omnesque alias cauſas, ordine & tempore antegreditur.

a *Matth.10. v.29.30.*

3 Eſtq; liberrimum, prout ipſa Dei voluntas, ad res creatas relata, prorſus libera eſt *a*; & nihilominus tamen eſt, & manet immutabile, quia nec ſapientia Dei, nec perfectiſſima bonitas permittit, ut quod ſemel fixit, poſtea refigat *b*.

a *Epheſ.1. v.11. Apoc.4. v.11.* b *Num.23. v.19. Pſal.33. v.9.10. & 11.*

4 *Hujus conſilii* quaſi partes ſunt *præſcientia & decretum.*

5 *Præſcientia* in Deo *vel neceſſaria* eſt, *& ſimplicis intelligentiæ* dicitur, ſecundùm quam Deus infinita novit: *vel liberæ*, *& præſcientia definitæ viſionis* dicitur, ſecundùm quam certa & definita novit *a*, & quæ ſequitur actum liberæ voluntatis.

a *Act.15. v.* 18.

6 Decretum Dei eſt, ſecundùm quod Deus ab æterno omnia in ſe potentiſſimè ad fines ſuos dirigit, ita ut prorſus nihil abſq; ejus nutu accidat *a*, ne peccatis quidem exceptis.

a *Act.2. v. 23. & 4.v.28.*

7 Decretum hoc à nulla cauſa externa

extra

extra Deum, ne ab objecto quidem movetur: interim secundùm objecta, & varios respectus ad objecta, distingui potest in efficiens, quo Deus decrevit bona quæque facere, & permittens, quo Deus decrevit mala quæq; permittere.

8 Porrò ad objecta decreto subjacentia quod attinet, novit Deus, omnia possibilia sive futura sint, sive non futura, & quidem secundùm gradus illos suprà commemoratos, prout alia in creaturis & per eas operabitur, alia à creaturis fieri permittet, alia denique de creaturis puniendo vel remunerando faciet.

9 Futura contingentia etiam huic decreto subjacent, & eorum præscientia in Deo infallibilis est, sed talis tamen, quæ non inducat fatalem necessitatem, sed quæ à fatali (non tamen Stoicâ) necessitate dependeat. Nec enim res sunt, quia eas futuras novit Deus, sed futuras novit, quia ex ipsius decreto sunt futuræ.

10 Neque ipsa etiam peccata à decreto hoc excluduntur, quæ Deus decrevit, 1. decreto & intellectu theoretico sub ratione entitatis, non practico sub ratione boni, 2. non ut finem, sed ut media ad finem, gloriam scil. suam illustrandam.

11 Decretum Dei duplex est, unum

providentia, alterum *prædestinationis*: & utrumq; internum & æternum est.

12 Providentia hîc intelligenda non tam actualis illa & transiens, quæ est eorum, quæ Deus circa mundi creationem & gubernationē facturum se præscivit & decrevit, executio, sive externa rerū omnium administratio in tempore; sed illa, quæ potentialis & immanens vocatur, & nihil aliud est, quàm interna & æterna Dei actio sive decretum de rerum omnium administratione, ex quo posteà altera actualis suo quodam modo oritur.

13 In hoc decreto providentiæ tria observanda concurrunt. 1. Constitutio finis, qui est gloria Dei; & quidem duplex, gratiæ sive justitiæ remunerantis, & justitiæ punientis: illam Deus primò intendit, hanc propter illam. 2. Dispositio mediorum ad finem illum duplicem. 3. Directio mediorum dispositorum.

14 Directio alia per se est mediorum formaliter bonorum: alia per accidens mediorum malorum, quæ bona sunt subjectivè, effectivè & finaliter, quatenus in bono, à bono & ad bonum sunt.

15 Actus hujus providentiæ est quadruplex: creationis, conservationis, gubernationis & ordinationis, cui tum bona, tum

ma

mala seu peccata subjacent: hæc quidem dum orta sunt ex naturali creaturarum rationalium mutabilitate, dum ita conservantur, ut sint, in bono subjectivè, quatenus motus, ita gubernantur, ut habeant rationem boni, & ad bonum sint reductivè; ita denique ordinantur, ut sint ad bonum sive morale, ut est pœna seu castigatio; sive supernaturale, ut est gloria Dei.

16 Modus verò hujus decreti providentiæ triplex est: generalis, quo res omnino omnes *a*; specialis quo homines, quoad vitam terrenam; specialissimus, quo electos & pios similiter quoad vitam terrenam Deus curare decrevit.

a *Actor. 17. v. 28.*

17 Decretum hoc providentiæ, etsi tanquam prima & immutabilis rerum omnium causa, necessitatem quandam rebus omnibus, utpote causis secundis, earumque effectis imponit, nempe ut propter illud non possint aliter fieri quàm fiunt, nec aliter agere quàm agunt; tamen ipsis naturis (quas decretum non tollit, sed conservat, & quarum aliæ ad certa effecta sunt definitæ, aliæ indefinitæ) sua manet operandi & agendi vis & facultas.

18 Deus enim per voluntatem, mediante potentiâ, omnium aliarum rerum causa est, ita tamen ut cum per causas secundas

agit, vel cum illis vel in illis, modum proprium agendi ipsis divinitus insitum non tollat, sed necessarias necessariò, contingentes contingenter agere sinat, non propter defectum virtutis suæ, sed propter abundantiam bonitatis suæ per libertatem voluntatis.

Lucas Trelcatius Instit. Theolog. lib 2. titulo de prædestinatione.

19 Decreto providentiæ succedit decretum *prædestinationis*, quod vel generali notione de rerum omnium gubernatione usurpatur & cum decreto providentiæ unum est, de quo jam actum, vel minùs generali notione, quatenus in genere circa creaturas rationales, puta angelos & homines servandos aut damnandos versatur: vel denique strictè de hominum prædestinatione sumitur, & tunc etiam vel æquè ad electos & reprobos, vel ad solos tantùm electos accommodatur, in qua etiam significatione imposterum à nobis accipietur.

20 Est autem hæc prædestinatio actus divini propositi & decreti, quo Deus ab æterno proposuit ex universitate hominum certos quosdam gratiæ & gloriæ participes reddere ad sui gloriam & ipsorum salutem *a*.

a Ephes. 1. v. 4. 5. 6. & 11.

21 Hoc prædestinationis decretum in Deo esse, sacra scriptura expressè *a* testatur,

a Jer. 18. v. 6. Matth. 20, v. 15.

22 De-

22 Decretum autem hoc Dei est, 1. æternum a quippe quod ante omnes res a creatas & causas in illis existentes factum est. 2. Absolutum, cujus causa efficiens non est conditio seu res extra Deum, sed sola voluntas Dei b, cujus nulla alia causa superior adsignari potest, quæ extra Deum sit aut esse possit. 3. Denique immutabile, quippe quod nec à Deo, utpote à voluntate Dei immutabili pendens, nec ab ulla creatura mutari potest.

a *Actor. 15. v. 18.*

b *Rom. 11. v. 35.*

23 Causa efficiens agens prædestinationis est Deus: impulsiva solum ipsius beneplacitum seu εὐδοκία a, non autem prævisa opera, neque prævisa fides; quasi illi, quos Deus piè victuros & in Christum creditu-ros prævidit, sint prædestinationis causa συνεργητική, Deum ad eligendum movens, quippe quum non modò hæc voluntatis divinæ commotio à prævisione bonorum operum & fidei, summæ Dei libertati quæ à nulla cuasa externa dependet, repugnet: sed etiam opera & fides ipsa vera prædestinationis sint effecta b.

a *Rom. 9. v. 16. &c. 1. Timoth. 1. v. 16.*

b *Actor. 13. v. 48.*

24 Actus hujus decreti qui in Deo simplex & uniformis est, quoad nostrum concipiendi modum, est duplex: prior de fine seu vita æterna certis hominibus danda. Posterior de mediis, per quæ illi ad vitam

æternam sunt deducendi. Prior solet dici in scriptura modò præordinatio ad vitam æternam *a*, modò paratio regni cœlorum *b*, modò beneplacitum dandi regnum *c*, modò inscriptio in librum vitæ *d*, denique positio ad acquisitionem salutis *e*: Posterior nominatur prædestinatio ad adoptionem filiorum Dei *f*.

a *Actor.13.v.48.* b *Matth.20.v.23. & 25. v.34.* c *Luc.12.v.32.* d *Phil.4.v.3. Apoc.21. v.27.* e *1.Thes.5.v.9.* f *Ephes 1.v.5.*

25 Objectum prædestinationis est pars generis humani altera, eaque minor &c.

26 Etsi autem decretum hoc planè absolutum est, hoc est, nullum agnoscit principium superius extra Deum, tamen res decreta videl. vita æterna includit conditionem fidei & bonorum operum, quæ media sunt ex parte hominis ad finem illum ducentia. Ex parte Dei verò media sunt 1. *a* vocatio efficax. 2. justificatio. 3. regeneratio. 4. glorificatio, quæ benedictiones spirituales ab Apostolo generali vocabulo vocantur *b*, & nominibus GRATIÆ & GLORIÆ comprehenduntur.

a *Rom. 8. v.30.*

b *Ephes.1. v.3.*

27 Quia decretum prædestinationis absolutum est, idcirco etiam 1. absolutus & determinatus est electorum numerus, qui nec minui, nec augeri, nec permutari potest, in se quidem magnus, quippe qui con-

constituit Ecclesiam catholicam ad æternum vitæ triumphum, ex omnibus mundi partibus collectam *a*: paucus tamen si conferatur cum numero reproborum, qui longè maximus est *b*, cujus numeri & singularum in eo personarum mysterium solus novit, qui illas sine consiliariis prædestinavit *c*. 2. Is qui prædestinatus est, nunquam finaliter & totaliter perire, & decreto electionis excidere potest: Hoc enim cùm sit ἀμεταμέλητον *d*, cumq; mutari non possit, proinde neque ipsi electi fieri reprobi, neque reprobi electi, neque illi perire unquam, neque isti unquam servari possunt.

a *Matth.5.v.3.11.* b *Matth.7.v.13.* c *Rom.11.v.34.* d *Rom.9.v.35.&c.*

28 Finis prædestinationis pro duplici ejus actu duplex constituitur: prædestinationis ad finem finis est partim liberrimæ in omnes creaturas potestatis *a*, partim salutiferæ gloriæ, non quidem illius internæ in perfectione Dei consistentis, sed externæ in patefactione apud creaturas sitæ, hoc est, misericordiæ erga electos *b* manifestatio. Prædestinationis autem ad media finis est fidei, sanctitatis, & bonorum operum *c* in electis per Spiritum S. operatio.

a *Rom.9.v.21.22.23.* b *Rom.9.v.23. Ephes.1. v.6. & ad Rom.11.v.33.* c *Eph.1.v.4. & 2.v.10.*

29 Effectum prædestinationis aliud est internum & æternum, nimirum prædestinatorum in Deo scientia. Est enim quasi liber, cui voluntas Dei prædestinando prædestinatos inscripsit: aliud externum & temporale, mediorum videlicet ad finem directio.

30 De hâc totâ prædestinatione, tum nostri, tum aliorum, non ex priori sive decreto divino, quod imperscrutabile est, sed à posteriori seu effectis sive mediis est judicandum.

31 Deus enim aliquibus fidem & bona opera gratiosè largiendo, & aliquibus eadem justè subtrahendo demonstrat, qui electi & non electi sint: & electi etiam ipsi electionem suam per exercitia fidei & officia charitatis exerunt & manifestant.

32 Prædestinationi opponitur reprobatio, quæ est actus divini decreti, quo Deus ab æterno decrevit in se ex universitate hominum maximam partem, pro suo beneplacito & pleno jure in *cos a* quoad gratiæ & gloriæ salutaris donationem præterire, Eosdemque in peccatum lapsuros & justitiam originalem amissuros *b* propter peccatum damnare, & ad illustrationem gloriæ suæ morti æternæ adjudicare.

a *Matth. 7. v. 23. & cap. 25. v. 12. & ad Rom. 9. passim, præsertim v. 18. 20. 21. &c.* b *Matth. 25. v. 41.*

33 Actus

33 Actus hujus decreti duplex est: præteritionis unus, & in scriptura non inscriptio in libro vitæ ab initio mundi *a* dicitur: alter præparationis pœnæ seu adjudicationis ab æterno ad mortem æternam, & in scriptura modò parario ignis æterni *b*, modò positio ad iram *c* appellatur.

a *Apoc.17. v.8.* b *Matth.25. v.41.*
c *1.Thess.5. v.9.*

34 Prior est absolutus, continens in se propositum quosdam prætereundi & deserendi, à solo Dei beneplacito dependens *a*, quod tamen beneplacitum erga rem est quam approbat *b*, nonerga personam quam reprobat: cùm suo reprobationis decreto, nunquam autem reprobatis delectetur: alter est respectivus peccati, tanquam antecedentis necessarii, quia ut Deus justè hominem propter peccata punit in tempore & damnat, ita etiam justè ex hypothesi peccatorum eundem ab æterno decrevit punire & damnare.

a *Rom.9. v.18. Es.6. v.3. Proverb.16. v.4.*
b *Matth.11. v.26.*

35 Objectum reprobationis est altera generis humani pars, eaque major &c.

36 Æquitas hujus decreti ex Dei liberrimi omnium Domini nullique debitoris sapientia & jure dependet. Sapientiâ qui-

dem tùm quia ad mundi tanquam domus domini ornamentum pertinet, vaſorum ad decus & dedecus varietas *a*, tum quòd non mero imperio ut Deus poterat, ſed non niſi permiſſo reprobatorum merito tanquam medio ſubordinato ad exitium deſtinavit, ita ut perditionis cauſa efficiens & ſufficiens (peccatum ſcil.) in reprobatis, convenienter tamen decreto Dei, reperiri poſſit: Quod etſi Deus tanquam cauſam ſibi objectam in illis non ſpectarit (alioqui enim omnes reprobaſſet, cùm omnes futuri fuerint peccatores) iſtius tamen permiſſionis tanquam medii ſubordinati rationem habuit.

a 2. *Tim.* 2. *v.* 20.

37 Jus Dei iterum duplex eſt: 1. abſolutum dominii, 2. relatum ad peccatum: cujus reſpectu ejus permiſſione & pœnarum distributione erga peccatores intercedente, eos quos reprobavit reprobare potuit, & ſic duplici viâ ſublata eſt injuſtitiæ ab aliis objici ſolitæ calumnia.

38 Finis reprobationis eſt partim gratiæ Dei in electis ſalutiferæ & immenſæ, ex reproborum comparatione clariùs elucentis *a*, partim poteſtatis iræ, potentiæ, & maximè juſtitiæ in punitione reproborum exequendæ gloria.

a *Roman.* 9. *v.* 23.

LOCUS

LOCUS VII.

De externis & temporalibus Dei operibus.

ATque hæc de internis & æternis Dei operibus, decreto scilicet PROVIDENTIÆ & PRÆDESTINATIONIS, quibus respondet executio decretorum, qua Deus in tempore facit, quicquid ab æterno se facturum præscivit & decrevit *a*, idque totum eodem planè ordine & modo quo decrevit. Aphorismus.

a Es. 46. v. 10. Psal. 115. v. 3.

2 *Partes hujus executionis*, prout & ipsius decreti, duæ sunt: *efficax operatio & permissio*: illa est effectio seu productio omnium bonorum, quæ sunt & fiunt: ista est voluntaria concessio, quâ non impeditur mutatio creaturarum à bono in malum, ita ut boni antecedentis privatio fiat.

3 Hæ autem partes ita ordinatæ sunt, ut respectu operationis omnium rerum principium, progressus & finis sit bonus; respectu verò permissionis res creatæ pro sua mutabili conditione à sua bonitate absistere permittantur, Deo interim omnia, quatenus bona sunt, efficaciter operante, quæ mala sunt ordinante & providè curante, i, e. bonam creaturæ naturam sustenta-

tante, & malum quod ab ipso est, ad bonum finem disponente & dirigente.

4 *Executionis* hujus duæ sunt primariæ *species, creatio & gubernatio.*

5 Creatio propriè dicta est actio temporalis, sive transiens, quâ Deus mundum hunc universum, & quæcunque in eo sunt, ex nihilo potentissimè in tempore & simul liberrimè ad sui gloriam & electorum salutem produxit.

6 Causa efficiens creationis est Deus pater *a*, Filius *b* & Spiritus sanctus.

a *Actor. 17. v. 24. & 26.* b *Coloss. 1. v. 16. Johan. 1. v. 3.*

7 Non ergo mundus æternus est, qui hyperphysicè à Deo ejusque infinita potentia etiam in non ens sive nihil agere potentis cœpit per creationem, non physicè per generationem: imò duo entia simul infinita, simul stare non possunt: quin etiam duratio ejus finita est, ac alterari potest: & denique ordo etiam temporis in mundi partibus datur.

8 Materia creationis circa quam versatur, est totus mundus, & omnes ejus partes, & potissimum substantiæ, quæ tamen à malo superveniente sunt distinguendæ, accidentia autem utpote coëntia & inentia non creata seorsim & separatim, extra substantias, sed in iis concreata & increata.

9 Omnia

9 Omnia autem à Deo creata dicuntur, quia omnes entium ſpecies, in principio ſex dierum ſpatio produxit. A nova enim novarum ſpecierum, non autem individuorum quotidie novorum creatione ceſſavit.

10 Materia creationis ex qua, nulla eſt, ſed mundus hic totus ex nihilo eſt productus: Eſt enim Deus potentiæ infinitæ, qui etiam ex non ente facere poteſt ens, & ſic à nulla cauſa externa in producendo dependet: dependeret autem, ſi ad mundi productionem materia ex qua indigeret: nihil autem illud non privativum, ſed negativum eſt, notans ſimplicem & meram ſubjecti antecedentis negationem & ordinem, à non eſſe ſimpliciter ad eſſe, tanquam à termino à quo ad terminum ad quem, adeò ut mundus non tam ex nihilo ſit productus, quàm poſt nihil cœperit eſſe aliquid.

11 Mundus ergo à Deo ex nihilo eſt creatus, ſed liberrimè, nulla neceſſitate & indigentiâ eum cogente, ſed quia ſic placebat creavit. Eſtenim agens ſummè αὐταρκες, nullius rei indigens & à nullo dependens: Et quidem creatus eſt, non tàm in tempore, quàm cum tempore, ſive ipſius temporis principio. Eſtque creatus ſex

dierum ſpatio: ſicut Moſes diſertè in principio libri ſui primi narrat *a*.

a *Geneſ.1.v.1. & deinceps.*

12 *Sic de executione decreti in creatione: Sequitur in gubernatione ſeu providentia temporali & actuali*, quæ eſt actio Dei transiens, optima & potentiſſima, quâ omnia quæcunque creavit & ſunt, conſervat *a*, quæ fiunt, ad finem quem determinavit ſecundùm libertatem voluntatis, disponit & dirigit, idque ut in omnibus & ſingulis glorificetur.

a *Heb.1. v.3. Coloſ.1. v.17. Matth.5. v.45. Actor.17. v.25.*

13 Cauſa ergo efficiens hujus providentiæ eadem eſt, quæ creationis, cùm utriusque unum idemque ſit principium, à quo omnia procedunt & conſervantur: Deus Pater, Filius & Spiritus ſanctus *a*.

a *Pſal.33. v.13.14. & 15. Pſal.39.v.4. & 18. Job 12. v.10. v.28. & 22.v.13.14.*

H. Zanchius lib.5. de natura Dei cap.1.

14 Objectum providentiæ divinæ, non tantùm ſunt ipſæ rerum ſubſtantiæ, verùm etiam actiones aliaque accidentia, ita ut nihil omnino ſit vel fiat, ſive bonum ſive malum, in quo non aliqua Dei providentia occupetur *a*, cum hoc tamen discrimine, quòd bona fiunt, Deo ſimpliciter volente, hoc eſt, approbante, atque etiam co-

a *Matth.10. v.29, & 30.*

ope-

operante, mala v. eodem permittente, hoc est, non impediente, simul tamen ad optimos fines dirigente.

15 Modus varius est. Nam alia quidem providentia generalis est, quâ res omnes perpetuò agit, movet, regitque ad certos fines *a*. Alia specialis, quæ se exerit in iis solis creaturis, quas spiritus sui participatione dignatur *b*. Rursus alia est immediata, quâ præter institutum naturæ ordinem operatur, ut fit in miraculis; alia mediata, quâ ordinariè utitur in rerum gubernatione, ita ut causas secundas pro suæ naturæ conditione operari sinat.

a *Actor. 17. v. 28.* b *Roman. 8. v. 9.*

16 Media autem hæc & instrumenta per quæ Deus mediatam hanc actionem exercet, sunt vel bona, vel mala. Bonis sic Deus utitur, ut ipse sit prima efficiens causa omnium operum ab instrumentis illis editorum, sive instrumenta illa sint naturalia, sive voluntaria. Malis autem sic utitur, ut ipsarum quidem actionum seu motuum author sit, non autem vitiositatis seu defectus, qui actionibus inhæret. Cùm enim Deus in agendo deficere non possit, si quis defectus in actione aliqua inest, is secundùm providentiam, non tamen ex vi providentiæ fieri dicendus est.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn334845335/43 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

17 Finis hujus providentiæ ſupremus eſt Dei gloria, quæ per hanc adminiſtrationem multis modis illuſtratur *a*: inferior autem eſt ſalus æterna eorum qui Deum diligunt, quippe quibus omnia tandem ad bonum cedunt *b*.

a *Proverb. 16. v. 4.* b *Rom. 8. v. 28.*

18 Actus ſive partes ejus tres ſunt, conſervatio rerum in ſua eſſentia, gubernatio earundem, & ad bonum finem directio.

19 Adjuncta ejus ſunt, eſſe eam tum optimam & ſapientiſſimam, tùm etiam immutabilem, attamen liberam: Bonitas & ſapientia eſt, quâ juſtitia, æquitas & rectitudo in omnium operum divinorum gubernatione apparet, tametſi nonnunquam illius ratio nobis occulta ſit *a*: Immutabilitas eſt, quâ hæc ipſa gubernatio ad amuſſim reſpondet æterno Dei decreto ſeu conſilio, quod mutari non poteſt *b*. Cui interim non repugnat libertas, quippe quæ non à neceſſitate naturæ divinæ, ſed à libera ejus voluntate tota pendet *c*, ita ut actualis hæc Dei providentia nulli neceſſitati aſtricta ſit, ſed liberum ſit Dei opus, quod ipſe eodem ordine, modo & mediis in tempore exequitur, quibus ab æterno liberrimè ſe executurum conſtituit. Ipſi rerum non modò omnium creatori,

a *Pſal 36. v. 7. & 119. v. 137. & 145. v. 17. & 147. 140.*

b *Eſa. 14. v. 27. & 46. v. 10. Rom. 11. v. 29.*

c *Pſalm. 115. v. 3. Jer. 18. v. 6. Exod. 33. v. 19. Epheſ. 1. v. 11.*

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn334845335/44 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

tori, sed etiam perpetuo conservatori, Regi æterno, immortali, invisibili, soli sapienti Deo, honor sit & gloria in secula seculorum,

Amen.

1. Timoth. 1. v. 17.

Finis libri primi, qui est

De

Deo Testatore.

INDEX LOCORUM COMMUNIUM LIB. I. EXPLICATORUM.

De verbo Dei sacrâ scripturâ contento, unico sanctæ Theologiæ principio & fundamento.

2 *Utroq; verbi divini Testamento, Veteri & Novo, sive fœdere legali & evangelico.*

3 *Dei Testatoris seu essentiæ divinæ unitate.*

4 *Trinitate, seu tribus in unitatis essentia personis.*

5 *Naturâ seu attributis Dei.*

6 *Internis & æternis Dei operibus, nim. decreto providentiæ & prædestinationis.*

7 *Externis & temporalibus Dei operibus, videlicet exsequutione decretorum in creatione & gubernatione.*

Πάντε δόξα Θεῷ.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn334845335/46 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

JOH. HENRICI ALSTEDI

ELEGIA

De federe Theologiæ & Philosophiæ

Ad

Insignem pietate & doctrinâ juvenem,
Dn. M. WERNERUM TESCHENMACHERUM, amicum ut veterem, ita charissimum.

THeulogiam soleo dextra conferre, sinistra
At Sophiam: causam hanc, chare Magister, habe:
Dextera nobilior lævâ est: sic mystica sacra
Inventis hominum præposuisse decet.
Dextera mobilior lævâ est: quia rebus agendis (nis:
Hæc minùs, illa magis ducitur apta ma-
Sic quoq; Theulogie Sophia præstare putatur:
Hæc VERUM *tantùm parturit, illa parit:*
Dein quoq; Theulogie Sophia præstare putatur; (parit.
Namq; BONUM *hæc tantùm parturit, illa*
Læva juvat dextram, juvat & sic dextera lævam:
Læva tenendo valet, dextra movendo valet.

Sic ſic Theulogiæ Sophiam ſervire putarim,
Imperitare autem Theulogiam Sophiæ.
Dextram læva ſequi debet, non anticipare:
Sicq; ſequi debet Theulogiam Sophia.
Quàm pulchrum hoc fœdus! Manuum ô concordia pulchra!
O pulchrum fœdus Theulogiæ & Sophiæ!
Difficile en facile eſt maxuum concordia ſi ſit,
Si non ſit facile ab difficile eſſe poteſt!
Sic ſi Theulogiæ & Sophiæ concordia firma eſt,
Plana via exiſtit, quæ ſalebroſa priùs.
At ſi Theulogiæ & Sophiæ concordia nullæ eſt,
Dura via exiſtit, quæ modò plana fuit.
Iccircò Ratio Fidei, atq; Fides Rationi
Jungatur: Jovæ fœdus id uſq; placet.
Ergo tuum facinus, TESCHENMACHERE,
notandum
Eſt titulis, quando, quod cano, ritè facis.
Quod cano, ritè facis; monſtras, quod prædico, fœdus,
Theulogiam methodo dum ſapiente doces.
Res petis è gemini, quod habemus, codice Juris.
Unde tibi methodus? Dat methodum Logica.

Macte tuâ virtute diu, conjungito dextram
Lævæ; sic fugiet turba proterva canum.
Porrò Theulogiam soleo conferre perenni
Fonti, sed rivo hanc assimilo Sophiam.
Quid causæ quæris? Fons rivum gignit ad instar
Matris; Theulogie sic Sophiam q3 parit.
Ceu gignens genito, fons rivo, dextra sinistrâ:
Theulogie Sophiâ sic prior & potior.
Queis igitur studio est studia hæc conjungere, quantis
Laudibus hos dignos, optime amice, putas?

FINIS.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn334845335/49
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

1750

Theol. ex. asc

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn334845335/51
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG